



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epitome In Qvatvor Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi**

**Spina, Claudius de**

**Parisiis, 1551**

2. de creatione angelorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38840**

E P I T O M E

digniori prius agendum.

D E C R E A T I O N E A N-  
gelorum.

D I S T I N C T . Secundæ  
C A P . Primum.

*Angelica natura non est produc̄ta  
ante corporalia.*

*fol. 151. a.  
dimet 17.*  
**V**Idetur hoc esse tenendum, quod simul  
creata est spiritualis creatura. i. An-  
gelica, & corporalis: secūdum quod po-  
test accipi illud Salomonis, Qui viuit in eccl. 13  
æternum, creauit omnia simul. i. spiritualem  
& corporalem naturā. & ita non prius tem-  
pore creati sunt angeli, quām corporalis ma-  
teria 4. elemētorū. & tamen primō omnium  
creata est sapientia (vt dicit Sapiēs.) i. Ange- eccl. 1  
lica-natura, non tempore, sed dignitate.

Quod August. sup. Gen. apertè ostendit,  
dicens per cælum & terram spiritualem &  
corporalem creaturam intelligi. & hæc  
creata sunt in principio, scil. temporis, vel in  
principio, quia primō facta sunt: ita ut ante  
ea nihil factum sit, nec etiam tempus. Illa  
enim cum tempore creata sunt, nec ex tem-  
pore, nec in tempore: sicut nec tempus in  
tempore creatum est: quia non fuit tempus  
antequām esset cælum & terra. Vnde Aug.

*cap. 6. lib. 5. de Trini. dicit, quod Deus fuit Dominus antequam tempus esset: & non in tempore coepit esse Deus: quia fuit Deus temporis, quando coepit esse tempus. Nec utique tempus coepit esse in tempore, quia non erat tempus antequam inciperet tempus. &*

*li. 5. in gen. ad lit. c. 19 T o. 9. cap. 1.* August. ait: Nulla creatura est ante secula, sed à seculis, cum quibus coepit. Quanuis D. Hieron. aliter dicere videatur in epistolam ad Titum. Sed illud dixisse non ita sentiendo, sed aliorum opinionem referendo, arbitramur.

*obnotio  
arrurum*

C A P. Secundum. Angelifuerunt  
creati in Cælo Empyreo.

*fol. 98. a.*

*Lu. 10. cap. 38 Gen. 1* **T**estimoniis evidenter monstratur Angulos ante casum fuisse in cælo, & inde corruisse quosdam propter superbiam, alios autem perstittiisse. Vnde Dominus in Euangel. Videbam Sathanam tanquam fulgur de cælo cadentem. quo cælo intellegitur non firmamentum, sed cælum splendidum siue Empyreum, quod statim factum Angelis est repletum, ut dicunt Strabos & Beda super Iob. & de Cælo Empyreo illo quidam volunt id intelligi, In principio creauit Deus cælum & terram, &c.

M ij

E P I T O M E

C A P. Tertium. Vtraque naturā, visibilis scil. & inuisibilis, quodammodo informis creata est.

S Imul ergo visibilium rerum materia & inuisibilium natura condita est, & vtraq; informis fuit secundum aliquid, & forma secundum aliquid. Sicut enim corporalium materia confusa & permixta (quæ secundum Græcos dicta est Chaos) in illo exordio conditionis primariæ & formam confusionis habuit, & non habuit formam distinctionis & discretionis, donec postea formaretur, atque distinctas reciperet species. Ita spiritualis & Angelica natura in sua cōditione secundū naturalē habitū formata fuit: & tamen illam, quam postea per amorem & cōuercionem à creatore suo acceptura erat, formam non habuit, sed erat informis sine illa. Vnde August. multipliciter exponens Lib. I.<sup>1</sup> præmissa verba Gen. per Cælum dicit intel. in gen. ligi informem naturam vitæ spiritualis, ad lit. sicut in se potest existere, non conuersa ad Cap. I. creatorem quo formatur: Per terram, corporalem materiam, fine omni qualitate, quæ appetit in materia formata.

Obiectio.

Hic quæri solet si in cælo Empyreo fuerunt Angeli, moxq; statim facti sunt, quomodo in Esaia legitur, quod Lucifer di- Esa. 14

xerit, Ascendam in cælum, &c. Sed ibi Cælum vocat Dei celstitudinem, cui parificari volebat. & est tale, ascendam in cælum, id est ad æqualitatem Dei.

**DE ANGELIS SECUNDUM**  
dum suas intrinsecas  
conditiones.

DISTINCT. 3. CAP. Primum.

*Angelis suæ creationis initio quatuor  
sunt distributa.*

**N**unc consequens est inuestigare qualities facti fuerint in ipso primordio suæ conditionis: & quatuor quidem Angelis videntur esse attributa initio subsistentiæ suæ, scilicet essentia simplex, i.e. indivisibilis & immutabilis, & discretio personalis, & per rationem naturaliter insitam, intelligentia, memoria, & voluntas siue dilectio, liberum quoque arbitrium. i.e. libera inclinandæ voluntatis, siue ad bonum, siue ad malum, facultas. Poterant enim per liberū arbitrium sine violentia & coactione, ad utrumlibet propria voluntate deflecti.

CAP. Secundum. *Angeli sunt in attributis illis inæquales, & in aliis æquales.*

**I**llæ igitur essentiæ rationales, quæ personæ erat & spiritus, naturaque simplices, & ita immortales, differentem essentiæ te-

M iiij

*Attributa  
angelorum*